

404
DIVUS AUGUSTINUS
A CALUMNIA VINDICATUS

ADVERSUS JO. LAUNOJI TRADITIONEM.

E Pistola nuncupatoria.
Præfatio.
SS. D. N. Clementis Pape XI. Damnatio, &
prohibitio Libelli typis editi sub titulo: Ver-
itable Tradition de l'Eglise &c.

CAPUT PRIMUM.

L Auuojus jam inde a libelli prologo, suam
in Augustino erroris infimulando audaciam
nequicquam excusat, sed pinguioribus erro-
ribus auget.

II.

Launojus in proferendo Augustiniana, quam
oppugnat, doctrine specimine, ignorantie,
calumnie, fallacie revincitur.

III.

Prima Launojana narrationis calumnia depel-
litur. Quo cultu Augustini de gratia, &
predestinatione doctrina, ab Innocentio,
Zozimo, & Episcopis Africanis, ut primum
vulgari cepit, excepta sit.

IV.

Bonifacii I. Rom. Pont. magna de Augustino,
ejusque doctrina opinio concepta, adversus
Launoji hallucinationem defenditur.

V.

Launoji, de commoto statim in Augustinum
orbe catholico, Somnium dissipatur.

VI.

Mora inter Monachos Adumetinos de Augu-
stini doctrina controversia, non modo ejus-
dem auctoritatem non imminuit, uti Lau-
nojo visum est, verum etiam conciliant mul-
to majorem. De Vitale Carthaginensi fabula
refellitur.

VII.

Gallorum ac pessime Massiliensium in Augu-
stinum Censura, ab Launojo denuo recuse,
honori, & glorie cedunt sanctissimo gratia
Vindictæ.

VIII.

Launojana fabella, de turbis in Africa, &
Italia excitatis, Augustiniana doctrina oc-
casionem, statim a Sancti Doctoris obitu, de-
pellitur, confutatur.

IX.

Celestini I. Rescriptum ad Gallos Episcopos,
a Prospero, & Hilario ad Augustiniana do-
ctrina commendationem impetratum anno
432. a Launojo rebus defenditur.

X.

Prosperi, & Hilarii religiosa sollicitudo, in
promovenda Augustini doctrina, recenti Apo-
stolica Sedis oraculo consecrata, a Launoji
calumniis vindicatur.

XI.

Launoji, de Auctore Librorum de Vocazione
genitum, aberrationes, calumnie, dicta
refelluntur. Vincentii Lirinensis Communi-
torum exussatur.

XII.

Afficta Augustino, ejusque discipulis hæreses
predestinationis nota depellitur.

XIII.

Augustiniana doctrina de Semipelagianismo
triumphus, sæculo sexto, septimo, & octa-
vo reportatus, & a Launojo pessima fide
dissimulatus, distincte narratur.

XIV.

Gotteschalchi causa, dissidentibus invicem Gal-
lie Præsulibus, agitata sæculo nono, Augu-
stini nomen non modo non atterit, ut cele-
bret potius.

XV.

Augustini doctrina, post judicatum Gotteschal-
chi causam, summo in Ecclesia cultu exce-
pta est, ad sæculum usque decimum quartum;
Wicklesso, aliisque Novatoribus opposita.

XVI.

Augustinus a Lutheri, & Calvini erroribus
remotissimus, summa veneratione a Triden-
tina Synodi Patribus exceptus.

XVII.

Augustini doctrina a Leonardo Usinensi ex sa-
cro suggestu tradita, & ab Aquilensi Pa-
triarchi probata, Tridentina Synodi judicio
confirmatur. Facti narratio a Launojo corru-
pta, ac depravata, ex legitimis documentis
restituatur.

XVIII.

Augustini doctrina non modo nihil, ex Baji
Jansenique damnatione detrimenti cepit,
verum etiam multo majorem in Ecclesia au-
thoritatem obtinuit.

XIX.

Launoji, de violata ab Augustino priorum sæ-
culorum Traditione, criminatio ex dictis eli-
ditur; eademque ab omni veri specie remo-
tissima demonstratur.

XX.

Augustiniana doctrina capita a Launojo erroris
insimulata, priorum sæculorum Traditioni
consentanea probantur. Primi alteriusque sæ-
culi Patres expenduntur.

XXI.

Tertii sæculi Patres ad crism vocantur, &
Augustiniano dogmati asseruntur.

XXII.

Quarti incuntes sæculi Patres Augustino con-
ciliantur.

XXIII.

Quarti cadentis sæculi Patres, & quinti incun-
tis, Augustino suffragari ostenduntur.

XXIV.

Et ultimum.
Familiares prisca Ecclesie Patribus loquendi
formulae, ab Launojo frequenter objectæ,
cum Augustini sententia conciliantur.

Decretum Illustris. ac Reverendiss. D. Caroli
Mauritii le Tellier Archiepiscopi Remensis,
adversus Launoji Traditionem de Predesti-
natione, & Gratia, e gallico in latinum
translatum.

Epistola Joannis Launoji &c.

V. moT DIVUS

405
DIVUS AUGUSTINUS
A CALUMNIA VINDICATUS

ADVERSUS JOANNIS LAUNOJI

TRADITIONEM.

CAPUT PRIMUM.

Launojus jam a Libelli prologo, suam in Augustino
erroris infimulando audaciam nequicquam excusat,
sed pinguioribus erroribus auget.



EST illud Augustini in Eccle-
sia Catholica nomen, ea tri-
umphati erroris, & assertæ
Fidei fama, ut opus invidiæ
& periculosa alea plenum
moliri se fati intelligant,
quorquod ad eum erroris in-
fimulandum, animum indu-
cunt. Idcirco Launojus, cui

petulans audaxque consilium infedit animo, jam
inde ab initio excusationes obtendit, occupatque
pro viribus quæ putat opponi, ut omnem a se
suscepti operis invidiam amoveat. Cum enim
Augustinum, adoratum terris ac celo caput, gen-
tium omnium linguis ferri videat, quod illo ne-
mo melius Divinæ Gratiæ vires expertus sit, ne-
mo felicius explicarit: ejusque doctrinam a viris
omni retro ætate sanctissimis, doctissimisque pro-
pugnata certo sciat; quæ duo insaukti illi omni-
nis præjudicia videbantur: incommotis istis sta-
tim occurrit audacissimus criminatur, lectorem-
que primo ingressu præclaris hæc monitis occu-
pat; ut omni in Augustinum affectu vacuus ad
legendum accedat.

(Pag. 1.) I. Doctores, quanti quanti sint, non
aliam sibi dictorum fidem conciliare, quam que illis,
ex rationum quæ nituntur, momenti accedit: at-
que adeo magnam illam, quæ tota Ecclesia Catholi-
ca valet Augustinus, existimationem nihil obesse, quo-
minus, nisi causa subest, erroris a viro Theologo po-
stulari queat, nulla debite venerationis injuria.

(Pag. 4.) II. Nomini mirum videri posse, erro-
rem de gratuita Predestinatione, Gratiæque se ipsa
victici, tandem in Ecclesia perenasse. Cum alteru-
tram hoc de argumento opinionem, seu Augustini il-
la sit, seu partis adversæ, erroris nomine cense-
re sit, qui tamen ab annis mille ducentis, & quod
excurrit, in Ecclesia persistat. Maxime vero, cum Pa-
pæ, de novo post extremi judicii diem, Christi Do-
mini Regno, spissus error, per annos ferme trecentos
perduravit, donec damnaretur.

(Pag. 5.) III. Neque id exemplo vacare, ut
pernuntius magni nominis viri in errorem conjunctis
animis conspirarint. Quandoquidem memorata Papiæ
sententia, tametsi reapse hæretica, a Sanctissimis
doctissimisque priorum sæculorum Patribus propugna-
ta probataque sit, quoto tempore persistit: nec ab-
simili sorte Origenis error insinuat eruditorum ho-
minum, Sanctorumque Martyrum multitudinem as-
sentientem habuerit: ut interim, inquit, Arianam
hæresim missam faciam, quæ universum pervasit Or-
denem, si que D. Hieronymo, & Vincentio Liri-
nensi fides est.

(Præf.) IV. Augustiniana Doctrinæ Professores,
eidem ad hanc usque diem ad hæresim, nul-
li animadversioni obnoxios, ac violata fidei

minime reos: quod nondum ex forma juris damnati
sint.

Ita novus occultorum hæc errorum Inqui-
sitor, quem, ut sibi ipse blanditur, ad hæc uf-
que tempora, liberanda veritas expectavit. Ec-
quis porro non videat, occultos Augustini erro-
res reterege meditantem, apertis erroribus viam
sternere? Nihil quippe tam lubricum, tamque
errori patens, quam fumos quosque Ecclesiæ
Doctores omni demum nominis auctoritate exue-
re: nec aliam illis fidem adungere velle, quam
quæ momentis illorum ac rationibus datur. Id
si liceat, tota pæssum ibit Theologica res: nec
jam petum a Patrum auctoritate argumentum,
cui Theologi maxime fidunt, ab altero quod a
ratione est, fecerunt. Immo nihil Patrum ma-
ximum, præ vili & extrema concionis homuncu-
lo obtinebit, ex fama nominis: cum eam nemi-
ni fidem negemus, quam rationum momenta conciliant.
Procul ab inconulto illo Launoji monito
Ecclesia Catholica, quæ uti Patres non meros
simpliciterque dispartores agnoscat, sed Traditio-
nis suorum temporum testes adhibet; ita (nisi
illis, quodam fortasse doctrinæ capite, auctori-
tatem ademerit) rationum etiam quibus nituntur
consideratione seposita, fidem illis adjungit: ma-
jorem utique minorentve, pro varia quæ florare
ætatæ temporum: iisque omnium maximam, qui
in eo, quod agitur, argumento, summam ope-
ram posuere, ut Catholicas partes adversus Hæ-
reticos tuerentur. Hæc certa Ecclesiæ de Patrum
auctoritate sententia; Conciliorum cum recen-
tium, tum antiquorum usu consecrata. Neque
tamen id moneo, quasi Augustino meo, a mo-
mentis, quæ inanti solet, aliquid timeam: sed
ut intelligat audacissimus criminatur, toto se
ostio jam inde a prologo aberrare: eaque com-
mentitiæ Traditionis fundamenta ponere, quæ
Theologiam ab imo suffodiant, & in errorem in-
ducant.

Alterum de errore tot annos in Ecclesia gra-
fante Launoji monitum, uti & tertium, de tam
multis magni nominis viris, in ejusdem defe-
sionem conspirantibus, minus profecto ferendum
est. Aliud quippe, in Augustini de gratia & pre-
destinatione sententia fidei est, aliud opinionis.
Fidei caput nunquam non Ecclesia tenuit, uti
probabitur loco suo: tametsi errorem oppositum,
rebus nondum ad liquidum perductis, in nonnul-
lis aliquandiu passa sit. Alterum opinionem libe-
ram, in quamlibet partem etiam hodie pro arbi-
trio disputatur, citra erroris periculum: licet ii
postiori jure censentur esse, qui Augustino vel
in liberis tenacius hærent. Nec Launojum juvant
Papiæ, Origenis, Arii errorum exempla. Quan-
quam enim ultro daremus ut liber, nonnullos
olim errores, longo temporis tractu, in Ecclesia
perdurasse, viroque etiam maximis ac numero
plures iisdem aliquandiu adfuisse; nihil inde ad
iustitiam. Aliud namque est, errorem in non-
nullis ab Ecclesia tolerari, donec eliquata ultimo
veritate proferatur; aliud expresse probari &
com-

commendari. Det Launojus, si potis est, Romanorum Pontificum seriem, qui Papie, Origenis, Arii errores suo calculo comprobant, qui editas ab iis lucubrationes laudibus extulerint, qui fideles ad illorem libros, Ecclesie Romanæ doctrinam percepturos, miserint; quod Augustinianæ Doctrinæ occasione factum nemo nescit: & gradum ultro referemus.

Sed & illud a vero longius abit, quod tanta fiducia pronunciat, Ecclesiasticæ, quam laudat historie, Hieronymi, ac Vincentii Lirinensis fide turpiter abusus. Sane Papie errorem nec universim receperunt, tribus prioribus Ecclesie sæculis, quamquam quæstioni diu fuerit; nec a quibusque Sanctissimis doctissimisque illius ætatis Patribus propugnatum, evincunt Patrum illius ævi gravissimorum testimonia: Justinus in primis, qui multos, etiam, qui pure pieque erant Christianorum sententia, novum illud Christi Domini Regnum, a Papia excogitatum (cui ipsemet favit) non agnovisse, proficitur, in *Dialogo cum Tryphone* Judæo: Irenæi lib. 5. *adversus hæreses* cap. 33. ubi non paucos hanc Præceptoris sui opinionem, qua & ipse imbutus est, oppugnasse testatur: Cæli in fragmento apud Eusebium lib. 3. *Historie Ecclesiasticæ* cap. 28. hanc fabulam ceu errorem pestilentissimum confutantium, tertio vertente Ecclesie sæculo. Quibus subinde dexteræ contulere Eusebius lib. 3. *Historie* cap. 39. D. Hieronymus *Prefatione Libri 18. Commentariorum* in Isaiam: Sanctus Epiphanius *hæresi* 77. Sanctus Augustinus *libro 20. de Civitate Dei* cap. 7. Sanctus Basilius Magnus *Epistola* 74. ad Occidentales Episcopos: alique sæculis pene omnes. Quatuor ut ut maxime huic errori adimplati perhibentur, tribus prioribus Ecclesie sæculis: Papiæ fabulæ parens, Justinus, Irenæus, Tertullianus: quos omnes sanctissimos doctissimosque perperam Launojus appellat. Nec enim doctissimi viri nomine celebrandus Papias, quem Eusebius *libro 3. Historie Ecclesiasticæ* Capite ultimo, mediocri admodum ingenio præditum notat, colligite ex ejus, quas tunc ad manum habebat, Commentationibus. Nec sanctissimi titulo exornandus Tertullianus, publica hæreses professione, ab Ecclesie Catholice communiione sejunctus.

Nihil felicius Origenis errores infinite eruditorum hominum, Sanctorumque Martyrum multitudinè probatos effudit. Equidem habit ille eruditionis minime vulgaris laudatores, sanctissimos ac doctissimos viros, Gregorium utramque, Neocæsariensem, & Nazianzenum, Athanasium, Hieronymum, Basilium Magnum. Eundem doctrinæ integrum, errorisque purum opinati sunt alii, sanctitatis & eruditionis fama celebres; seu errore facti, seu benigniori scriptorum interpretatione, seu demum quod libros ejus spiritus assumentis ab Ariani infartos existimarent; externaque quorundam Origenistarum pietatis specie delusi, in suam illos fidem atque tutelam receperunt: quod ultimum Sancto Joanni Chrysostomo per obreptionem accidisse notum est. Cæterum errores ipsos non nisi notari ab Ecclesia viri propugnauerunt; Eusebius Cæsariensis, Ariani factionis Signifer: Rufinus Aquilejensis, ab Anastasio Romano Pontifice hac ipsa de causa damnatus; Didimus Alexandrinus, ab Ecclesia, ut loquitur Hieronymus *lib. 2. Apologie adversus Rufinum*, reprobatus: Evagrius in V. Œcumenica Synodo inustus: obsecuti, imo nullius nominis Auctor, apud Photium *Codice* 117. Joannes Hierosolymitanus, ob defensas Origenis errores, a Patribus bene multis exagitatus: qui demum, ut illam a se labem depelleret, adornato Libello, se Origenis

ingenium, non fidem secutum ostendit, ut testatur Gennadius in *Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum capite* 31. Quis non paucos alios adjectis solo capite centos, Palladium, Isidorum, Avitum, Nonnium, Leontium &c. At Sanctissimos Martyres, quales Launojus comminiscitur, plane nullos. Nisi forte veterem natiæm revocare lubear, qua Pamphilus Martyr, quo tempore carcere teneretur, libros apologeticos pro Origene concinnasse ferebatur. Verum fuit hæc Rufini impia fraus, qui ut hæresim Martyris nomine celebrem faceret, libros in Origenis defensionem ab Eusebio consecratos, Pamphilo supposuerat. Audiendus ea de re Sanctus Hieronymus, qui ut nondum detecta fraude, libros illos Pamphilo Martyri, cujus nomen fronte præferant, adjudicaverat, dum *Scriptorum Ecclesiasticorum Catalogum* ederet; ita detectis subinde doli, ex Mss. Codicum fide, impostorem multo fale defricuit *lib. 2. Apologie adversus Rufinum: Perpicuum est*, inquit, ut idcirco librum hunc disseminare voluisse, ut sub persona Martyris hæresim introduceret. Et *lib. 3. Ergo, frater, si ve a te falsatus est liber, ut multi putant: si ve ab altero, ut forsitan persuadere conaberis, & temere credidisti hæretici hominis syntagma, esse Martyris: muta titulum, & Romanam simplicitatem tanto periculo libera. Non tibi expedit, ut per te clarissimus Martyr hæreticus judicetur: ut qui effudit pro Christo sanguinem, contrarius fidei Christi approbatur. Dic potius, inveni librum, putavi illum Martyris; ne times penitentiam. Jam te non urgebo, non queram a quo acceperis: vel mortuorum aliquem nominato; vel in platea ab ignoto homine te emisse dicit. Non enim damnationem tuam querimus, sed conversionem. Melius est, ut tu erraveris, quam ut Martyr hæreticus fueris.*

Jam illud cujus frontis est, quod adjicit Criminatorem, Ariani hæresim universum orbem pervasit? Quasi vero id accidere tandem possit, ut Ecclesia toto orbe diffusa in hæresim prolaberetur, contra Christi Domini pollicitationem: (*Mat. 16.*) aut id significatum voluerit Hieronymus, dum inquit in dialogo contra Luciferianos: *Ingenium totus Orbis, & Ariani se esse miratus est? Id Ariminensis Concilii occasione dictum nemo nescit: dum Valentis & Ursatii artibus circumventi religiosissimi Patres, fidei formulæ subscribere, nihil quidem hæreticum ex verborum superficie præferenti; sed qua interim, ob prætermisum *Consubstantialis* vocabulum, Ariani petulantius abusi sunt, peregrinos sensus, ac mente abditos obrudentes. Improperia igitur & hyperbolica Hieronymi locutio est, Orbis nomine maximam Orbis partem, ex qua erat constata Synodus, intelligentis. Ariani autem Orbis ab eo dictus, non erroris professione, sed incauta cum errantibus communiione: quatenus probata per obreptionem dolosa fidei formulæ, sibi ab Ariani exhibita, eorumdem communiione maculati censabantur Ariminensis Synodi Patres.*

Hanc Hieronymi mentem esse, ex hoc ipso Dialogo contra Luciferianos, unde laudata verba excerpta sunt, aperte liquet. Quandoquidem narrata fraude Patribus Ariminensibus facta, eorumdem innocentiam, & alienum ab hæresi animum probat. *Concurrebant*, inquit, *Episcopi, qui Ariminensibus dotis irretiti, sine conscientia Hæretici ferebantur, constantes Corpus Domini, & quidquid in Ecclesia sanctum est, se nihil mali, in sua fide suspicatos. Putavimus, agebant, sensus congruere verbis; nec in Ecclesia Dei ubi simplicitas, ubi pura confessio est, aliud in corde clausum esse, aliud in labiis proferri timuimus. Decepit nos bona de malis existimatio, Non sumus arbitrati Sacerdotes Chri-*

Christi adversus Christum pugnare. Multaque alia, que brevitate studio prætorum steterat asserant, parati & subscriptionem pristinam, & omnes Ariani blasphemias condemnare. Nec alius Vincentii Lirinensis sensus est, Arianiorem venenum non jam portunculam quandam, sed pene orbem totum contaminasse scribitis, capite 4. *Commonitorii*. Contaminatum scilicet orbem intelligit, non erroris utique professione, sed oscitantia, qua fraudem sibi ab Hæreticis fieri, passi fuerant Occidentis Episcopi. Unde subjungit e vestigio; adeo ut prope cunctis latini sermonis Episcopis, partim vi, partim fraude deceptis, castigo quedam mentibus offunderetur. Certe nec universum Orbem, nec partem illius maximam, in Ariani hæresim concessisse, sed longe admodum piures toto orbe Catholicos extitisse, hæc ipsa ætate temporum, quam Ariani, testis est locupletissimus Athanasius, Epistola Synodica de Fide, ad Jovinianum Imperatorem data, apud Eusebium *lib. VII. Historie Ecclesiasticæ tripartita cap. 3.* cujus sunt hæc ipsa verba: *Cognosce, Deo amabilis Imperator, quoniam hec quidem prædicatur a saculo, & hanc professi sunt Patres in Nicea convenientes, in hac quoque fide concordant omnes Ecclesie in Hispania, & Britania, nec non in Gallia, Italia, & in Dalmatis constituta: in Cappadocia, Mysia, & Macedonia, & universa sinu Hællade, sed etiam universa Africa, Sardinia, Cypro, Creta, Pamphylia, Lycia, Sauria, & in omni Ægypto, & Libia, Ponto, & Cappadocia, partibusque vicinis, & Orientales Ecclesie præter paucos Arii sectatores. Omnium namque prædictorum sententiam experimento cognovimus, & litteras habemus, eosque novimus, Deo amabilis Imperator: quia cum pauci quidam huic fidei contradicant, præjudicium sacore non poterunt in toto orbe terrarum.*

Quam gravem Ecclesiasticæ Traditioni, quæ altera fidei nostræ regula est, labem inurant quædam illæ Launoii assertiones; quibus pingues errores, trium priorum sæculorum spatio, in Ecclesia late grassantes, & a Sanctissimis doctissimisque viris, communi calculo probatos effudit, demonstrare facile fuerit; nisi sui statim immemor hæc ipsa paradoxa, jam tunc a primo Opellæ capitulo, subvertisset: *Ecclesiam*, inquit, *ex Traditione nusquam intermissa, falsas comperisse tot illas opiniones: Papiæ quidem, de terrene Christi Domini Regno, post generalem mortalium omnium ad vitam reditum: Cypriani, de iterando hæreticorum Baptismo: Atri de abnegata Christi Divinitate: sequæ tunc maxime Divino Spiritu afflatam probasse.* Ecquo vero pacto nusquam intermissæ Traditionis purissima lux Ecclesie affulisset, si per annos ferme trecentos, Sanctissimos quoque doctissimosque Magistros, ac Martyres contrarius error invaserat; totusque demum orbis in Ariani hæresim conspiraverat? Germanæ siquidem veræque Traditionis terna dos est, Antiquitas, Universalitas, & Consensus: idque unum a Christo, & Apostolis traditum ceteri jure potest; ut loquitur Vincentius Lirinensis, quod Ecclesie Doctores atque Magistri, uno eodemque consensu, aperte, frequenter, perseveranter tenuerunt, scripturam, docuerunt. *Commonitorii capite* 3.

Esset profecto, unde Launojo revocata tam cito immania prolusionis suæ paradoxa gratularer, nisi extremam tunc viam adiens, palliodiam illam suam graviore errore depravasset: dum inquit, Ecclesiam difficulter admodum memoratos errores damnaturam fuisse, nisi ad Traditionis regulas confugisset: quod si ita sacris litteris inniti viderentur, ut vero non secus ac veritas ipsa similis sint. O verbum minime ferendum! Non ergo, si penes Launojum fides est, in Scripturæ

subsidium Traditio venit, sed altera in alteram pugnat: ut quod ex unius sententia, vero non secus ac veritas ipsa simillimum est, alterius iudicio hæreticum censetur. Jamque si sacras litteras unice consulamus, de Ecclesia Catholica Millenarii, Origenistæ, Rebatizantes, Ariani, Launojo iudice triumpharunt. Cum tamen qui in iis erroribus debellandis principem operam posuerunt Ecclesie Patres, potissimum Catholice causæ præsidium sacris in litteris collocarint.

Verum quid supinam in Traditionis Investigatore aberrationem miramur? Mensuram cumulat, multasque una complectitur ultimum Præstationis monitum, quo Augustinianæ Doctrinæ Professores, eidem ad hæc usque diem inculpate adhæsisse dicitur, quod necum ex forma juris damnati sint. Quisquis id legit, & librum nondum evoluit, Launojo refracti duntaxat in Augustinum animi reum putat; quod veris illius discipulis factis consultum existimet, si modo indemnati censentur. At qui evoluto Libello, Prædestinationarios, Wiclefistas, Lutheranos, Calvinistas, Bayesianos, Jansenistas quinque famosarum Propositionum defensores, Augustini discipulos poni ab eo videt; imo vix alios eo titulo passim Scripturæ percenseri: violatæ Catholice Fidei reum habet; quod tam multos illorum errores uno verbo iustaret, aut certe excuset, dum eos nondum ex juris forma damnatos effudit: tamesi sacrorum Conciliorum ac Romanorum Pontificum Decretis inusti sint.

De celebri Cœlestini I. Rescripto ad Gallos Episcopos, quo probatam Augustini Doctrinam inficitur Traditionis Investigator, nono capite sermo erit.

CAPUT II.

Launojus in proferendo Augustiniane, quam oppugnet, Doctrinæ specimine, ignorantia, calliditate, fallacia revincitur.

TAmetsi gratuita Prædestinationis, Gratiaque se ipsa victricis gemina dogmata duntaxat appeteret Launojus prima fronte videatur: universam tamen Augustini doctrinam, de altissimo Prædestinationis Myserio, de fractis lapæ naturæ viribus, de medicinalis gratiæ necessitate, censuris, ac maledictis aggreditur; quod eam, quanta quanta est, ab geminis illis dogmatibus fluere persuasissimum habeat. Imo pro audaci obrectandi libidine, nihil veritus est affirmare, (*Pag. 24.*) Augustinum bina illa doctrinæ suæ fundamenta jacentem, Orbem Catholicum subinde quidem offendisse, at multo gravius cunctorum animos perturbasse, dum scientia inde dogmata publicavit. Urque Sanctissimum Doctorem invidiam conser, hæc ipsa statim in summam colligit, ac singulis ferme capitibus inculcat, auger, amplificat pro arbitrio, nullis Sanctissimi Doctores verbis distincte prolatis, nullo certo librorum loco adnotato.

In hanc scientiam inde dogmatum summam, qua totius Augustinianæ Doctrinæ speciem, ut ipse quidem autumat, continetur, cum primum oculos fleximus, inepti Censoris inscitiam, calliditatem, fallaciam deprehendimus. Insitiam inquam, quod in hac promiscua, & indiscriminata congerie, bene multa doctrinæ capita, ex sacris litteris ab Augustino delibata, ac Romanorum subinde Pontificum, Conciliorumque decretis definita, perinde fugillet, carpat, censuris inurat: Calliditatem, quod horrida interdum paradoxa Sanctissimi Doctores attingat, a quibus remotissimas sunt: Fallaciam demum, quod assertiones non

paucas, queis multiplex notio subiecta est, sed ab Augustino in rectam semper sententiam accipiuntur, indiscrète criminantur; omnia ex æquo miscens, ac infima summis paria faciens. Ea nos Augustinianæ Doctrinæ capita, ab inficeto Censore promiscue congesta, ac tota passim scriptio- ne fugillata, triplici ordine disponimus, brevem- que unicuique dogmati in invidiam traducto no- tam appingimus (nec enim cuilibet Launoii fig- mento refellendo, prolixam commentationem di- care vacat,) ut omnes una nobiscum indignam Viro Theologo censuram, nullo negotio depre- hendant.

Propositiones ex Augustino ab Launojo summam excerptæ, errorisque per summam ignorantiam insinuatæ.

(Pag. 24.) I. Propositio. Electi Divina voluntatis decreto vocantur.

Fidei caput est, sacris in litteris syllabam expressum. Ad Ephesios capite 1. v. 5. Qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum, per Jesum Christum in ipsum, secundum propostum voluntatis suæ, in laudem gloriæ gratiæ suæ. Et versu 11. Sorte vocati sumus, prædestinati secundum propostum ejus, qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ. Secundæ ad Timotheum cap. 1. v. 9. Vocatis nos vocatione sua sancta, non secundum opera nostra, sed secundum propostum suum, & gratiam. Ad Romanos 8. v. 28. Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis qui secundum propostum vocati sunt sancti. Quisquis ergo primam illam propositionem, Sancto Augustino familiarem, invidiosis notis inurit, Ecclesiasticis censuris inurendus est, tanquam Dei verbo palam aperteque injurius.

(Pag. 24.) II. Propositio. Deus nulla futurorum operam ratione habita, Jacob elegit, Esau reprobavit.

Apostolica sententia est, ad Romanos 9. v. 11. & sequentibus. Cum enim nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent, aut mali, (ut secundum electionem propostum Dei maneret) non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei: quia major serviet minori; sicut scriptum est: Jacob dilexi, Esau autem odio habui. Quid ergo dicemus? nunquid iniquitas apud Deum? Absit. Moysi enim dicit: miserere, cuius miseror: & misericordiam præstabo, cuius miseror. Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei. Qua de re, plura dabimus ad Propositionem xv.

(Pag. 24.) III. Propositio. Cum Deus vitam æternam largitur, nil nisi munera sua coronat: gratiamque pro gratia largitur.

Sacrarum Scripturarum, Romanorum Pontificum, ac Synodi Tridentinæ conceptissima verba sunt. Psalmi 102. v. 4. Qui coronat te in misericordia, & miserationibus. Joannis capite 1. v. 16. De plenitudine ejus nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia. Ad Romanos cap. 6. v. 23. Gratia Dei vita æterna. Cælestinus Romanus Pontifex, seu quisquis alius celeberrimorum Capitulorum Auctor, quæ ejus datis ad Gallos Episcopos litteris adnexa sunt, summo totius Ecclesiæ assensu cultuque recepta: (Cap. 9.) Tanta enim est erga omnes homines Bonitas Dei, ut nostra velis esse merita, quæ sunt ipsius dona, & pro his quæ largitus est, æterna præmia sit donaturus. (apud Labb. Tom. 3. pag. 476.) Concilium Tridentinum Sessio 6. de Justificatione cap. 16. Bene operantibus usque in finem, & in Dea sperantibus proponenda est vita æterna, & tanquam gratia filii Dei, per Christum Jesum misericorditer promissa, & tanquam merces, ex ipsius Dei promissione bonis

ipsorum operibus, & meritis fideliter reddenda. Cur porro gratia simul & merces, æterna vita vocitetur, rationem discretissimam reddit Synodus Araucana II. Canone 18. Quia debetur merces bonis operibus si fiant: sed gratia, quæ non debetur, præcedit ut fiant: (apud Labb. Tom. 5. pag. 811.) Quod Augustini dogma est, Epistola 194. ad Sixtum, & Libro de gratia & libero arbitrio cap. 6. Hæc vero ignorasse Theologum Parisiensem, an non monstrum simillimum est?

(Pag. 25.) IV. Deus nunc & velle & agere nos facit.

Nihil æque sacris Litteris & Canonibus familiarè. Isaie cap. 26. v. 12. Omnia opera nostra operatus est in nobis. Ad Philippenses cap. 2. v. 13. Operatur in vobis & velle & perficere, pro bona voluntate. II. ad Corinthios cap. 3. v. 5. Non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis: sed sufficientia nostra ex Deo est. Cælestinus Capitulo 9. Agit quippe in nobis, ut quod vult & velimus & agamus. Concilium Araucanum II. Canone 9. Quoties enim bona agimus, Deus in nobis atque nobiscum, ut operemur, operatur. Et Canone 20. Multa Deus facit in homine bona, quæ non facit homo: nulla vero facit homo bona, quæ non Deus præstat, ut faciat homo. Concilium Tridentinum Sessio 6. de Justificatione cap. 13. Deus enim nisi ipsi illius gratia deserviat, sicut cepit opus bonum, ita perficit, operans velle, & perficere. Qui secus statuat, uti profecto Launojus tota passim scriptioe fatetur, an non Ecclesiæ judicio prædamnatus est?

(Pag. 30.) V. Universis hominibus in massa perditionis Adde peccato prolapsis, alios quidem eriperet, alios desereret, Deo libuit.

Apostoli phrasit est omnia discretissima, in Epistola ad Romanos capite 9. v. 21. & sequentibus: An non habet potestatem figulus luti, ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam? Quod si Deus volens ostendere iram, & notam facere potentiam suam, sustulit in multa patientia vaso ire, apta in interitum, ut ostenderet divitias gloriæ suæ, in vaso misericordie, quæ preparavit in gloriam. Et paulo supra: Ergo cuius vult miseretur, & quem vult indurat. Dicit itaque mihi, quid ad hoc queritur? voluntati enim ejus quis resistit? O homo, tu quis es, qui respondeas Deo? Apostoli phrasim, cæternis quibusque Patribus familiarem, ab Augustino usurpari putatur Launojus; nec suam in ea sagillanda prodit incitiam & audaciam.

(Pag. 30. & 90.) VI. Deus electos vocat vocatione peculiari, quæ nunquam effectu suo vacua est.

Utraque assertionis pars æque constat. Priorem tradit Apostolus, locis superius appellatis, ubi de vocatione secundum propostum sermo fiet: hanc enim peculiarem esse nemo negaverit. Alteram Christus ipse declarat, Joannis capite 10. v. 27. Oves meæ vocem meam audiunt; & ego cognosco eas, & sequuntur me: & ego vitam æternam do eis; & non peribunt in æternum, & non rapier eas quisquam de manu mea. Et capite 6. v. 39. Omne, quod dedit mihi Pater, non perdam ex eo. Cui geminum est illud Apostoli ad Romanos 9. v. 11. Ut secundum electionem propostum Dei maneret. Uti & illud dilecti Discipuli Epistola 1. cap. 2. v. 19. Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis. Nam si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum. Quæ loquendi ratio significat, nusquam contingere, ut electus ab æterna sorte excidat. Et quidem cum peculiari electio, efficacis Dei voluntatis actus sit; qui fieri tandem possit, ut in irritum caderet? De efficaci siquidem voluntate legitur Esther capite 13. v. 9. Non est, qui

possit tunc resistere voluntati, si decreveris salvare Israel. Psalmi 134. Omnia quæcumque voluit Dominus, fecit. Ecclesiasticus cap. 8. Omnia, quæ voluerit faciet, & sermo illius potestate plenus est. Quibus sacrarum Scripturarum oraculis erudita Synodus Valentina III. ex tribus Galliarum Provinciis, Lugdunensi, Viennensi, Arelatesi coacta, sæculo nono, hanc D. Augustini sententiam Can. 3. consecravit. (Apud Deum) de omnibus omnino rebus, tam fixa sententia, quam certa præscientia est. (apud Labb. Tom. 9. pag. 1152.) Ac tanquam fidei caput decernit immobilitatem præscientiæ, & prædestinationis Dei, per quam apud eum futura facta sunt: quam sane qui negat, ne quidem ex limine Theologicam scholam videtur salutare.

(Pag. 30.) VII. Deus non modo perseverandi potestatem, sed perseverantiam ipsam largitur Electis.

Citra fidei periculum negari propositio illa non potest. Ad Philippenses capite 1. v. 6. Qui cepit in vobis opus bonum, perficiet usque in diem Christi Jesu. Ad Philippenses 2. v. 13. Operatur in vobis & velle & perficere. Cælestinus I. Romanus Pontifex capitulo 3. Neminem etiam Baptismatis gratia renovatum, idoneum esse ad superandas diaboli insidias, & ad vincendas carnis concupiscentias, nisi per quotidianam adiutorium Dei perseverantiam bona conversationis acceperit. Et capitulo 8. Beatissime & Apostolicæ Sedis inviolabiles Sanctiones. Et bene voluntatis exordia, & incrementa probabilius studiorum, & in eis usque in finem perseverantiam, ad Christi gratiam referro docuerunt (apud Labb. Tom. 3. pag. 474.) Synodus Araucana II. can. 10. Adjutorium Dei etiam veniens, ac sanctis semper est implorandum, ut ad finem bonum perveniret, vel in bono possint opere perdurare. (apud Labb. Tom. 5. pag. 811.) Synodus demum Tridentina Canone 22. Si quis dixerit, justificatum, vel sine speciali auxilio Dei in accepta justitia perseverare posse; anathema sit. Quæ quidem geminæ Synodi verba, non de nuda perseverantia potestate ab actu junctâ, sed de ipsa præferenti actu conjunctâ perseverantia, intelligenda esse, inde maxime liquet, quod prior justis quibusque communis sit, ac speciale Dei donum censetur.

(Pag. 30.) VIII. Electi nondum regenerari sacro Baptismate, imò necdum nati, ad id destinantur, ut filii Dei sint.

Ita plane Gentium Apostolus, ad Ephesios capite 1. v. 4. Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti, & immaculati in conspectu ejus, in caritate. Qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum, per Jesum Christum, in ipsum. Ad Romanos capite 9. v. 11. Cum enim nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent aut mali... non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei, quia major serviet minori, sicut scriptum est: Jacob dilexi, Esau autem odio habui. Hinc D. Gregorius Magnus lib. 1. Dialogorum cap. 8. Ipsa quoque perennis regni prædestinatio, ita est ab omnipotenti Deo disposita, ut ad hoc electi ex labore perveniant: quatenus postulando mereantur accipere, quod eis omnipotens Deus ante sæcula disposuit donare. Certe quid sibi Launojus velit, dum eam in Augustino propositionem cavillatur, haud satis capio. Num forte prædestinationem ex tempore factam existimat, ac non potius æterno Dei consilio? Id si velit, dignam Theologicam eruditionis specimen edit.

(Pag. 51.) IX. Deus reprobos cordis ipsorum desideria tradit.

Spiritu sancto auctore nititur Propositio, Ad Romanos 1. v. 24. Tradidit illos Deus in desideria Serry Tom. V.

cordis eorum, in immunditiam; ut contumeliis afficiant corpora sua in semetipsis... Versu 26. Propterea tradidit illos Deus in passionem ignominie. Versu 28. Tradidit illos Deus in reprobos sensum, ut faciant ea, quæ non conveniunt. Tam ergo censura vacat Propositio in Augustino, quam in Apostolo.

(Pag. 32.) X. Homo lapsus indeclinabili, & insuperabili gratia eget, ut bonum agat, ad eam naturæ infirmitatem, in quam primi Parentis peccato incurrit.

Indeclinabilem, & insuperabilem gratiam, qualem altruit Augustinus capite 12. libri de Correctione, & Gratia, evincunt Scripturæ loca, quæ absolutam Dei voluntatem, efficacissimam & insuperabilem innunt: hæc enim situs instrumentum est. Esther capite 13. v. 9. Non est, qui possit tunc resistere voluntati, si decreveris salvare Israel. Isaie 14. v. 27. Dominus enim exercituum decrevit, & quis poterit infirmare? Et manus ejus extenta: & quis avertet eam? Ad Romanos 9. v. 19. Voluntati ejus quis resistit? Quam utique gratiam a Deo peccator Ecclesiæ, dum ait: Nosiras etiam rebelles compelle propostum voluntates. Hujus porro insuperabilis, ut loquitur Augustinus, auxilii necessitatem, ex natura præferenti originali peccato sauciata infirmitate, originem ducere, (quæ altera propositionis in invidiam tradidit pars est) decernit Araucana Synodus II. Canone 25. Secundum superscriptas sanctarum scripturarum Sententias, vel antiquorum Patrum definitiones, hoc Deo propitiante, & predicare debemus, & credere; quod per peccatum primi hominis inclinatum & attenuatum fuerit liberum arbitrium, ut nullus postea aut diligere Deum, sicut oportet, aut credere in Deum, aut operari propter Deum, quod bonum est, possit, nisi gratia eum, & misericordia Divina prevenierit. (apud Labb. Tom. 5. pag. 812.) Quibus prorsus habent Leo magnus Epistola 86. ad Nicetam Aquilejensem Episcopum, Concilium Valentinarum trium Provinciarum cap. 6. Constituta Tridentinum Decreto de peccato originali, & Sessio 6. de Justificatione cap. 1.

(Pag. 25.) XI. Qui ex electorum numero non sunt, vasa ire reputantur in interitum destinata.

Loquendi formula est ab eodem Apostolo consecrata, loco ad quintam Propositionem addotato, ducta comparatione, ac petita figura, ex veteris Instrumenti codicibus. Isaie cap. 64. v. 8. Et nunc Domine, pater noster es tu, nos vero lutum: & fictor noster tu. Jeremias cap. 18. v. 6. Nunquid sicut figulus iste, non potero vobis facere, donum Israel, ait Dominus? Ecce sicut lutum in manu figuli; sic vos in manu mea, domus Israel. Threnorum cap. 4. v. 2. Filii Sion inclity, & amicti auro primo: quomodo reputati sunt in vasa testea, opus manuum figuli? Cui ista non placeat, universam Theologiam resingat, necesse est: nihil enim habet illa sanctius, nihil antiquius, quam sacras illas loquendi formulas usurpare.

(Pag. 32.) XII. Omne electorum meritum a gratia Christi est.

Evangelica veritas est in sacros Ecclesiæ Canones transfusa. Joannis capite 15. v. 4. Sicut palmes non possunt ferre fructum a semetipsis, nisi manserit in vitæ; sic nos vos nisi in me manseritis. Ego sum vitis, vos palmes: qui manet in me & ego in eo, hic fert fructum multum; quia sine me nihil potestis facere. Cælestinus I. Capitulo 5. Omnia studia, & omnia opera, ac merita Sanctorum ad Dei gloriam laudemque referenda sunt, quia nemo aliunde ei placet, nisi ex eo quod ipso donaverit. Et capitulo 9. His ergo Ecclesiasticis regulis, & ex Divina sumptis auctoritate documentis, ita ad-

juvante Domino conformati sumus, ut omnium studiorum, omniumque virtutum, quibus ab initio fidei ad Deum tenditur, Deum faciant Auctorem, & non dubitemus ab ipsius gratia bonis merita proveniri, per quem fit, ut aliquid boni, & velle incipiamus (& facere (apud Labb. Tom. 3. pag. 474.) Leo magnus Epist. 86. ad Nicetam Aquilejensem Episcopum: Gratia unicuique principium justitie, & bonorum fons, atque origo meritorum est. Concilium Trid. sess. 6. de justit. cap. 16. Cum enim ille ipse Christus Jesus, tanquam tapus in membra, & tanquam vitis in palmites, in ipsos justificatos jugiter virtutibus infuset: que virtus bona eorum opera semper antecedit, & comitatur, & subsequitur, & sine qua nullo pacto Deo grata, & meritoria esse possent: &c. . . . Dei tanta est erga omnes homines bonitas, ut eorum velle esse merita, que sunt ipsius dona. An non questo Theologi nomine indignus, qui isthac veritat in dubium?

(Pag. 32.) XIII. Voluntas humana tanto liberior confidenda est, quanto Divina gratie subje- ctior.

Et hoc Christi oraculum est, Pontificum & Conciliorum definitionibus explicatum. Joannis 8. v. 26. Si vos filius liberaverit, vero liberi eritis. Coelestinus laudato supra Capitulo 9. Qua utique auxilio & munere Dei, non auferatur liberum arbitrium, sed liberatur; ut de tenebris lucidum, de pravo rectum, de languido sanum, de imprudente sit providum. (apud Labb. Tom. 3. pag. 476.) Synodus vero Araucana II. can. 13. Arbitrium voluntatis in primo homine informatum, nisi per gratiam Baptistini non potest reparari: quod amissum, nisi a quo potuit dari, non potest reddi. (apud Labb. Tom. 5. pag. 1.)

(Pag. 47.) XIV. Hominum merita in Adam periere.

Catholici dogmatis, quo omnes in Adam peccasse, vasaque irae, & contumelie factos esse profitentur, confessorium istud est. Ad Romanos cap. 5. v. 12. cap. 9. v. 21. & 22. Quomodo enim in eo non periere hominum merita, in quo omnes homines periere? Non sic tamen merita perisse putanda sunt, quasi nulla, etiam ex Christi gratia fobolescant; quae Calvinii insulteritia est: sed quod nulla, ex primae institutionis & creatio- nis honore relicta sint.

(Pag. 47.) XV. Non ideo electi sumus, quod nos sanctos futuros prevediderit Deus: sed ideo sancti erimus, quia ex aeternitate electi sumus.

Id profecto significatum voluit Apostolus, ad Ephesios capite 1. v. 4. dum inquit: Elegit nos in ipso, ante mundi constitutionem, ut essemus sancti, & immaculati. Non igitur, quia tales futuri eramus, electi sumus, sed ut tales tandem essemus, Idcirco aeterna electorum vocatio fortis nomine designatur facris in litteris: ut quemadmodum, quae forte nobis obveniant, nulla meritorum ratione habita, nobis dicantur obtingere; ita aeterna felicitas, nondum exploratis meritis, destinatur a Deo, sed ut merita consequamur. Ad Ephesios I. v. 11. Sorte vocati sumus. Ad Colossenses I. v. 12. Dignos non fecit in partem sortis sanctorum in lumine. Quibus robur addit Christi Domini sententia, de externa persecutio- ne, Matthaei cap. 24. v. 22. Nisi brevissimi fuissent dies illi, non fieret salva omnis caro: sed propter electos breviantur dies illi: Imo quia illos elegit, ut inquit Marcus cap. 13. v. 20. Propter electos, quos elegit, breviantur dies. Ideo ergo removentur a Deo impedimenta salutis, quia electi sunt: quid ni quoque hac ipsa de causa, salutis media conferantur, ut ideo quoque sancti sint, quia electi? Una quippe eademque ratio subest,

& removendis impedimentis, & mediis conferendis, Quocirca Synodus Valentina canon. 3. Fi- denter fatetur praedestinationem Electorum ad vi- tam, & praedestinationem impiorum ad mortem: in electione tamen salvandorum, misericordiam Dei pre- cedere meritum bonum; in damnatione autem per- turarum, meritum malum precedere justitiam Dei iudicium. (apud Labb. Tom. 9. pag. 1159.) Quo nempe reprobi aeternis tandem supplicis addicuntur. At de his supra, ad Propositionem secundam, & tota passim Scriptione hac nostra.

(Pag. 47.) XVI. Deus corda hominum, ut li- bet inspectis, ut quae aeterno consilio statuit, execu- tioni demandet.

Quis id negat, nisi in sacris Literis peregrinus & hospes? Preteritorum cap. 21. v. 1. Cor Regis in manu Domini, quocumque voluerit, inclinabit il- lud. Esther cap. 14. v. 13. sic Deum interpellat religiosa mulier: Transfor cor illius (nimirum Regis Aseri) in adium hostis nostri, ut & ipse percat, & caeteri, qui ei consentiunt. Ezechielis 36. v. 26. Dabo vobis cor novum, & spiritum novum ponam in medio vestri; & auferam cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum. Et spiri- tum meum ponam in medio vestri, & faciam, ut in praeceptis meis ambuletis, & iudicia mea custodiatis, & operemini. Lib. 2. Machabeorum cap. 1. v. 3. Et det Deus vobis cor omnibus, ut colatis eum, & faciatis ejus voluntatem corde magno, & animo voluntatis. Adaperiat cor vestrum in lege sua & in praeceptis suis, & faciat pacem. Actuum 16. v. 14. de Lydia purpuraria legitur: Cujus dominum aperuit cor, ut intenderet his, quae dicebantur a Paulo. Aliaque id genus numero multa: secundum quae in Capitulis adaxis Epistolae Coelestini ad Gallos Episcopos, brevi compendio scriptum est: Agis quippe in nobis, ut quod vult, & volumus & aga- mus: ea videlicet potestate, qua hominum corda quocumque libet, inspicit.

(Pag. 47. & 91.) XVII. Dei gratia & praede- stinatione fit, ut aeterna salute digni simus, non merito voluntatis nostrae.

Et id ex Apostolo sumptum. Ad Titum, cap. 3. v. 5. Non ex operibus justitiae, quae fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit. II. Ad Timotheum cap. 1. v. 9. Vocatus (nos) vocatione sua sancta, non secundum opera nostra, sed secundum propostum suum, & gratiam. Ad Romanos 9. v. 16. Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei. Ad Colossenses cap. 1. v. 12. & 13. Dignos fecit in partem sortis sanctorum in lumine: qui eripuit nos de potestate tenebrarum, & transfudit in Regnum filii dilectionis suae. Haec nusquam legitur Launojum credere malum, quam si legerat, fugillasse.

(Pag. 28.) XVIII. Totum Deo tribuendum.

Sacrum oraculum est, a nemine, cui aliquis religionis sensus fuerit, verendum in dubium. Prima ad Corinthios cap. 4. v. 7. Quid habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non accepisti? Jacobi cap. 1. v. 17. Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre lumine. I. Ad Corinthios cap. 12. v. 6. Operatur omnia in omnibus. Isaia 26. v. 12. Omnia opera nostra operatus est nobis, Josimus Romanus Pontifex, Epistola ad totius Orbis Epif- copos data, cujus fragmentum Coelestini Capitu- lis insertum est: Omnia bona inquit, ad suum auctorem referenda sunt, unde nascuntur. Episcopi Africani, Epistola eidem Pontifici Maximo in- scripta: In bonis quibusque voluntatis humanae sin- gulis motibus, magis illius valere non dubitemus auxilium. Coelestinus I. Capitulo 8. Ad hoc totum Divini operis esse sentitur, ut haec efficienti Deo gratissimum semper actio, laudisque confessio, pro il- lumi-

luminatio talium, vel correctione referatur. In clausula vero iidem Capitulis subiecta: Cujus operi ac dignitati nihil penitus subtrahendum est. (apud Labb. Tom. 3. pag. 476.) Synodus Araucana II. contra Semipelagianos errores celebra- ta, Canone 16. Nemo ex eo quod videtur habere, gloriatur, tanquam non accepit. . . . Inde habet quicumque habet. Quisquis autem se inde habere ne- gat, aut vere non habet, aut id, quod videtur ha- bere, auferetur ab eo. (apud Labb. Tom. 5. pag. 811.) Sanctus Cyprianus Martyr (ut reliquos Patres missos faciam) libro 3. Testimoniorum ad Quirinum cap. 4. In nulla gloriantur, quan- do nostrum nihil sit. Quo Sanctissimi Martyris testimonio utitur identidem Augustinus, ut Pelagianis ac Masiliensibus ad veterum sententiam provocantibus ora pracludat.

(Pag. 90.) XIX. Bonus usus gratiae a gra- tia est.

Ex superioribus Propositionibus, maxime vero 4. 7. 10. 12. 16. & 18. sponte fluit. Quando- quidem enim bonus gratiae usus voluntatis actus est, meritum prae se ferens, non est virtuti gra- tiae subtrahendum. Ad haec: Gratiae efficacia, indeclinabilis & insuperabilis minime conferetur, si ejusdem usus ab ipsa non esset, sed ex voluntatis nutu suspenderetur: nec totum Deo adscriberetur, si quod optimum est, imo sine quo totum irri- tum est, hoc sibi liberum arbitrium arrogaret.

Propositiones D. Augustino ab Launojo perpetam afflicte.

(Pag. 25. & 61.) I. Propositio. Non ob aliud reprobi creantur a Deo, quam ut ejus justitiae po- nas subeant, atque aeterno igne cum demonibus ar- deant.

Atrocissima calumnia est, jam olim gratiae Vindici, ab Auctore Vincentianarum objectionum impata, & a Divo Prospero dedita opera confuta, in celebri Responso ad Capitula objectionum Vincentianarum: quas uti ineptissimarum blasphemiarum prodigiosa mendacia propulsa. Ita quippe fere- bat tertia Semipelagianii calumniosior obiectio: Quod Deus (ex Augustini sententia) majorem partem generis humani ad hoc creet, ut illum perdat in aeternum. Cui gemina erat quae proxime sequebatur, numero 4. Quod major pars generis humani ad hoc creetur a Deo, ut non Dei, sed dia- boli faciat voluntatem. Quo etiam collimabat septima, his verbis expressa: Quod hoc sit volun- tas Dei, ut magna pars Christianorum salva esse nec velit, nec possit. A quibus opinionum mon- stris abhorreat D. Augustinum, multis offendit doctissimus Aquinas, ab hac praecleara aureaque sententia ducto exordio. Omnium quidem hominum Creator est Deus: sed nemo ab eo ideo creatus est, ut periret. Quia alia est causa nascendi, & alia est causa perendi. Ut enim nascantur homines, Conditoris est beneficium: Ut autem pereant, praevicatoris est meritum. . . . Nihil ergo impius, & indolens est, qui vitium nature non discernit ab Auctore natura: a quo profusus alienum est, quic- quid in unoquoque damnandum est. Creat enim ho- mines, ut sint homines: nec multiplicandis genera- tionum successibus Opificium suum subtrahat, se- cundum consilium bonae voluntatis suae, reparaturus in multis, quod ipse fecit, puniendus in multis, quod ipse non fecit.

(Pag. 25. & 31.) II. Propositio. Ad Mundi duntaxat ornatum, aliorumque utilitatem nascuntur reprobi.

Et haec decima tertia Gallorum obiectio fuit. Quidam homines non ad hoc a Deo creati sunt, ut vitam adipiscerentur aeternam, sed ut habitum tan- Sery Tom. V.

tummodo saeculi praesentis ornarent, & ad utilitatem nascerentur aliorum. Quam quidem ex eo capite falsi, & calumniae postulat D. Prosper, quod ad id tantummodo, ex Augustini sententia, reprobi nati dicantur: cum illos ad id etiam natos, sim- pliciter dixerit Sanctissimus Doctor. Porro quod unum in propositione dolo malo conficta, Augu- stini revera est, nulli subesse calumniae, hac eru- dita observatione demonstrat, qua Launoji simul ac Semipelagianorum maledicentia elisa est, Capite 13. Responso ad Capitula Gallorum. Ornari autem etiam talium conditione mundi hujus varieta- tem quis non intelligat, qui videat studis, & ope- ribus quorundam impiorum, tot commoda vite praesentis instructa, in inventione artium, in extructio- ne urbium, in constitutione legum, in confederatione populorum? Quod si quaeritur, an de istis, quos a vera Religione impius error avertit, aliquid boni profectibus Sanctorum, & incrementis Ecclesiae pro- videntia Divina contulerit: inspicitur primum ipsa Crux Christi, in qua magno scelere Judaeorum miseri- coris Voluntas Dei, ut pro redemptione nostra, uni- cus filius ejus occideretur, impleta est. Inspicitur Apostolorum gloriae tolerantia, inter persecutum fremens, unanimi voce ad Deum clamantium: Act. 4. v. 27. Convenerunt vere in Civitate ista, adversus Sanctum puerum tuum Jesum, quem un- xisti, Herodes & Pilatus, cum gentibus & popu- lis Israel, ut facerent, quae manus tua, & con- silium praedestinavit fieri. Inspicitur denique in- numerabilium Martyrum palmae, quibus de crudelissi- ma infidelium sevitia, felix est collata Victoria. Audiatur etiam Apostolus, Ecclesiam Dei ad perfe- rantiam pietatis instituens dum ad Pbil. 1. in nul- lo, inquit, terreamini ab adversariis, quae est illis causa perditionis, vobis autem salutis, & hoc a Deo. Vobis enim donatum est pro Christo, non solum, ut in eum credatis, sed etiam ut pro illo patiamini. De illis quoque erroribus consulens nobis Dei bonitas sentitur, quos Deus in Ecclesia contra Ecclesiam permisit exurgere: non usque eos creans, aut fovens, sed per ipsos diligentiam filio- rum suorum, ad inquisitionem, & custodiam veri- tatis exercens &c. Haecenus D. Prosper. Tametsi nil juvat exempla congerere, ut perfectum cui- que fiat, in electorum quoque utilitatem & glo- riam, cedere reproborum ortum, & vitam. Brevi verbo rem totam conficit Apostolus, & Augusti- num ab emulis traductum absolvit: Ad Romanos capite 9. v. 22. Sustinuit in multa patientia vasa irae apta in interitum, ut ostenderet divitias gloriae suae in vasa misericordiae, quae preparavit in glo- riam.

(Pag. 31.) III. Propositio. Tales Deus in hanc lucem reprobos edit, ut aliud omnino esse non possint.

In decimam quartam, & decimam quintam ob- jectionem Vincentianam recidit ea Launoji calum- nia. Prior quippe sic habet: Quia magna pars illa Christianorum Catholicorum fidelium atque San- ctorum, quae ad ruinam & perditionem praedestinata est, etiam si perat a Deo sanctitatis perseverantiam, non impetrabit, eo quod mutari non potest Divina praedestinatio, quae illos praedestinavit, preparavit, praeparavit, ut caderent. Altera vero sic: Quod omnes illi fideles & sancti, qui ad aeternam mor- tem praedestinati sunt, posteaquam crediderint, sic a Deo dispensentur, ne possint vel velint per peniten- tiam liberari. Calumniam ex ambiguis Augustini verbis constatam ita diluit D. Prosper: (Nemini autem Deus correctionis admittit viam, nec quemquam boni possibilitate dispoliat. Quia qui se a Deo aver- tit, ipse & velle, quod bonum est, & posse sibi sustulit. Non est ergo consequens, sicut putant, qui talia obijciunt, ut Deus, quibus poenitentiam non

dederit, respicientiam abstulerit; & quos non leuaverit, alliserit: cum aliud sit insontem in crimine egisse, quod alienum est a Deo; aliud criminosa veniam non dedisse, quod de peccatoris est merito.

Neminem igitur Deus in lucem edit, iuxta Augustini principia, ut reprobis sit, tametsi quos reprobat, in lucem edat. Tales quidem certissime erunt ii, non quia aliud esse non poterunt, sed quia aliud esse nollent, quam quod illos futuros ipse præcivit. (Neque enim ideo peccat homo, libri 5. de Civitate Dei cap. 10. verba sunt) quia Deus illum peccatum esse præcivit: imo ideo non dubitatur ipsum peccare, cum peccat, quia ille, cuius præscientia falli non potest, non fatum, non fortunam, non aliquid aliud, sed ipsum peccatum esse præcivit. Qui si nolit, utique non peccat: sed si peccare noluerit, hoc etiam ille præcivit.)

Quam præposere vero, ex inefficacia divinæ præscientiæ, sublatum hominis arbitrium colligerent aliqui, invidiam plane ratione, superiori demonstrarant, quam omnibus alta mente defixam opto. (Non est autem consequens, ut si Deo certus est ordo omnium causarum, ideo nihil sit in nostræ voluntatis arbitrio. Et ipsa quippe nostræ voluntates in causarum ordine sunt, qui certus est Deo, ejusque præscientia continetur; quoniam & humane voluntates humanorum operum causas sunt. Atque ita, qui omnes rerum causas præcivit, profecto in eis causis etiam nostras voluntates ignorare non potuit, quas nostrorum operum causas esse præcivit.) lib. 5. de Civitate Dei cap. 9.

(Pag. 47.) IV. Propositio. Deus iustus non prædestinatis gratias subtrahit, ut obedire desistant.

Hanc sibi a Massiliensibus stractam sycophantiam depellit Augustinus ipse, Libro de dono perseverantiae capite 22. Jam vero quod illis verbis connectitur, miror si ullo modo potest in populo Christiano quisquam infirmis patienter audire, cum dicitur eis: Et si qui obeditis, si prædestinati estis rejiciendi, subtrahentur obediendi vires, ut obedire cessetis. Hoc enim dicere quid videtur aliud esse, quam maledicere, aut mala quodammodo propheterare? Et qui quæso, ex Augustini sententia, iustus aliquibus gratiam subtraheret Deus, ut obedire desistant: cum contra nemini iusto gratiam a Deo subtrahi doceat, nisi prius obedire desiterit? Deus, inquit ille Libro de Natura & Gratia capite 26. sua gratia semel iustificatos non deserit, nisi prius ab eis deseratur. Et Libro de dono Perseverantiae capite 6. Voluntate sua quisque deserit Deum, ut merito deseratur a Deo.

Eandem, vocato ad superos Augustino, novis tibi decantantur æmuli obrectatores, quorum hæc erat obiectio, numero duodecima, inter Capitula Gallorum: Quod quibusdam vocatis, & pie justeque viventibus obedientia subtrahatur, ut obedire desistant: Et hæc rursus, inter objectiones Vincentianas, ordine decima tertia: Quia omnes illi fideles & sancti, qui ad æternam mortem prædestinati sunt, quando ad vomitum suum relabuntur, vitio quidem suo hoc facere videntur; sed ipsius vitii causa est divina prædestinatio, quæ illis latenter subtrahit bonas voluntates. Quo probro Magistrum liberat doctissimus Aquitanus: illosque sycophantæ, ac mendacii postulat, qui tam infana paradoxa ex eisdem principiis derivarent.

Propositiones ancipites, recto sensu ab Augustino propugnate, sed in pravum a Launojo per invidiam detortæ.

(Pag. 24. 29. 48.) I. Propositio. Deus non omnes homines universim salvos fieri vult.

In varios sensus distrahi propositio illa potest,

juxta quorum intelligentiam, eadem recipienda, vel reprobanda judicatur. Namque si de voluntate efficaci, & absoluta, quam Theologi de Schola consequentem appellant, intelligatur, catholica est, & Christi Domini sententiæ consona, quæ non pro Mundo, sed pro electis duntaxat orare profusus est, Joannis 17. v. 9. Non pro Mundo rogo, sed pro his, quos dedisti mihi, quia tui sunt. Atque de ea duntaxat locutus est Augustinus, quoties celebre Apostoli dictum I. ad Timotheum cap. 2. v. 4. Deus vult omnes homines salvos fieri, non de singulis generum, sed de generibus singulorum exposuit. Verum si de generali, & inefficaci voluntate, quam antecedentem Schola vocitat, accipiatur propositio, hæresis est, ab ipso Augustino damnata, Libro de Spiritu & Litera cap. 23. Ubi Deum ipsos etiam infideles, extremo iudicio damnandos, salvos fieri velle disertissime docet. Vult autem Deus inquit, omnes homines salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire; non sic tamen, ut in eis adimat liberum Arbitrium, quo vel bene, vel male utentes, iustissime judicentur. Quod cum sit, infideles contra voluntatem Dei faciunt, cum ejus Evangelio non credunt: nec ideo tamen eam vincunt, verum se ipsos fraudant magno & summo bono, malisque pœnalibus implicant, experiri in suppliciis potestatem ejus, cujus in donis misericordiam contemserunt.

Quare cum alias Augustini phrasæ in invidiam traherent Massilienses, ut negatam prorsus ab eo generalem illam salutis omnium voluntatem obijcerent, Magistrum mentem aperuit doctissimus Aquitanus, hæc præclara sententia in responsione ad objectionem XV. octavo Gallorum capitulo opposita. (Qui dicit, quod non omnes homines velit Deus salvos fieri, sed certum numerum prædestinatorum, durius loquitur, quam loquendum est, de altitudine inscrutabilis gratiæ Dei, qui & omnes vult salvos fieri, atque in agnitionem veritatis venire; & voluntatis suæ propositum in eis implet, quos præcivit prædestinare, prædestinatos vocavit, vocatos iustificavit, iustificatos glorificavit.) Hæc ille, quæ generalem voluntatem ad omnes profus homines, etiam extra numerum prædestinatorum extendit; eam vero, quæ secundum propositum est, erga solos prædestinatos agnoscit.

(Pag. 24. 29. 48.) II. Propositio. Non omnes a Christo redempti sunt.

Priori Propositioni affinis est ista, ac perinde versatilis. Eo accepta sensu, quod non omnes mortis Christi fructum percipiant, & a captivitate non omnes erui sint, quo pacto ab Augustino frequentius accipitur, Concilii Tridentini doctrina est, Sessio 6. de Jussificatione cap. 3. Non tamen omnes mortis ejus beneficium recipiunt. In eum vero sensum translata, ut sanguis ejus non fuerit pro singulis sufficienter effusus, non modo sufficientia pretii, verum etiam sufficientia voluntatis, hæretica est, ab Augustino proscripta, locis bene multis capite 7. proferendis.

III. Propositio. Deus homines prædestinat sine meritis.

Duplex huic propositioni notio subijcitur. Vel enim de æterna electione sermo venit, vel de supernæ gloriæ largitione, quæ transacto mortalis vitæ spatio, fit a Deo. Si de æterna electione, Apostolica sententia est, locis paulo ante laudatis ad 1. 2. & 13. Propositionem prioris Indicii. Si de gloriæ largitione sermo fiat, quasi homines æterna gloria donari dicantur, sine meritis, error est, a Sancto Doctore data opera confutatus, Libro de Natura & gratia cap. 8. Epistola 194. ad Sixtum; Libro de Gratia & libero arbitrio cap. 6. Quamquam autem illi ipsis in libris obiter inuat, Dei dona coronari, cum nostræ merita co-

rona-

ronantur; non ideo coronam meritis rependi differtur; sed ipsa, quibus rependitur, merita, Dei dona esse contendit. Cui redderet coronam iustus iudex, si non donasset gratiam misericors Pater? Et quomodo esset ista corona justitiæ, nisi præcessisset Gratia, quæ iustificat impium? Quomodo ista debita redderetur, nisi prius illa gratuita donaretur? Lib. de Gratia, & libero arbitrio cap. 6.

(Pag. 24. & 25.) IV. Propositio. Gratia sola Electos secernit a reprobis.

Bisariam offerri potest: Primo, quasi gratia discretionis origo sit, ac totius meriti prima radix; quo sensu & Augustini decretum, & Apostoli oraculum est, Prime ad Corinthios capite 4. v. 7. Quis enim te discernit? Quid autem habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? Secundo, quasi nihil in Electis reperire sit, præter Gratiam, non studium, non industriam, non laborem, non operæ collationem; quo pacto horrendum paradoxum est, in quod stylum acuit Augustinus Libro de dono perseverantiae capite 15. & Sermone 156. de verbis Apostoli.

(Pag. 25.) V. Adam libero male usus arbitrio libertatem amisit.

Duplicem habet intelligentiam; Augustinianam unam & orthodoxam, ab Innocentio I. Cœlestino I. Leone I. & a Synodis Araficana, & Tridentina, de quibus capite 7. sermo incidit, propagatam: hominem scilicet, felici ac pacata illa, qua fruebantur in Paradiso, libertate devolutum esse: hæreticam alteram, ab Augustino ante, & post exortos Pelagianos, constanter, ac peculiari studio confutatam: ita nempe hominem, admissio peccato, libertate exutum esse, ut nec eligendi in præsentia facultate pollear, nec ad utrumlibet stecti queat. In quem errorem totis laudibus depugnat Sanctissimus Doctor libro 3. de lib. arbitrio cap. 18. & 19. Libro de duabus animabus cap. 11. & 12. Libro 2. de Actis cum Felice Manicheo cap. 3. & 4. Libro de vera Religione cap. 14. lib. 2. de nuptiis & concupiscentia cap. 3. Libro de Natura & gratia cap. 32. 43. 64. 65. 67. Libro de Spiritu & Litera cap. 3. 33. & 34. Libro de Gratia, & libero arbitrio cap. 2. & 15.

(Præf.) VI. Post peccatum primi Parentis liberum arbitrium ad bonum, nullum est: nec nisi ad peccandum valet.

In duas sententias accipi potest. Si enim de libero arbitrio, sibi ipsi & contracta infirmitati relicto, & de bono naturam superante accipiatur, Araficana Synodi definitio est, Canone 22. Nemo habet de suo nisi mendacium, & peccatum (apud Labb. Tom. 5. pag. 812.) Si de libero arbitrio divina Gratia adjuro explicetur, ut nec in bonum opus nulla ex parte vitiatum possit unquam assurgere; Lutheri commentum est, ab Augustino in antecessum occupatum Sermone 33. de Diversis. Sub Gratia sanante, jurante, delectante implet legem: quæ non est ei pondus, sed decus: nec tormentum est, sed amantissimum ornamentum.

(Pag. 25.) VII. Ita Deus velle, & perficere operatur in nobis, ut ei liberum arbitrium obistere nequeat.

Patitur & ista duplicem sensum. Aut enim de obstandi potestate actui conjuncta, sermo fit; ut nimirum contingere reapse non possit, ut Deo efficaci gratia moventi resistat homo: estque Augustiniana, eademque probatissima doctrina, laudatis paulo supra Scripturarum, (Prop. 6. & 9.) Conciliorum, atque Pontificum testimoniis confirmata. Aut de potestate ab actu sejuncta, quam Scholæ Magistri antecedentem appellant, sermo venit; quasi ne dissentienti quidem potentiam fervet homo, sub imperio divinæ gratiæ: estque

Lutheri detestandus error, ab Augustino apertissime prædamnatus, cum alibi sæpe, tum maxime Libro de Spiritu & Litera cap. 34. Quando Deus agit cum anima rationali, ut ei credat; neque enim credere potest quodlibet libero arbitrio, si nulla sit suasio, vel vocatio, cui credat; profecto & ipsum velle credere Deus operatur in homine, & in omnibus misericordia ejus prævenit nos: consentire autem vocationi Dei, vel ab ea dissentire, sicut dixi, proprie voluntatis est.

(Pag. 30. & 31.) VIII. Prædestinati perire omnino non possunt, quidquid demum acciderit, quia Deus nequidem a libero hominis arbitrio vinci potest.

Anteceptus Propositio est, eodem plane modo, atque superior exponenda. Si velis prædestinatum damnari non posse, quod protestat consequenti id accidere nequeat, obdivini consilii inefficentiam; cum Augustino & Ecclesia Catholica loqueris: Deus, cujus providentia in sui dispositione non fallitur: idque plane evincunt laudata ad 1. & 6. Propositionem prioris Indicii testimonia. At si prædestinatum damnari non posse contendas, quod æterna dispositio dissentienti facultatem abtulerit, absolutamque necessitatem indiderit; impiam vocem emittis, & Augustinum adversarium experiris, loco ante appellato.

Hoc triplici Propositionum Indiculo, adjectaque cuique notatione, satis opinor intelligis, quam deformatum Augustiniana Doctrina specimen exhibuerit audacissimus criminatorem: non paucis per invidiam affectis, pluribus inique detortis, reliquis nulla ratione, imo contra disertissima Scripturarum, Pontificum, Conciliorum oracula, vellicatis. Retusa jam dudum Semipelagianorum tela recudi ab eo vides, veteres nœnias novam in scenam induci: quodque dolendum magis, per Augustini latus, Ecclesiam Catholicam peti; fideique capita longe multa, ex Sanctissimi Præsul scriptis, in sacros transfusa canones, erroris petulantiter infimulari. Ec hæc tamen prima Bellatoris nostri velitatio est, prima impressio, imo nuda belli in Augustinum denunciatio. Quid futurum, ubi totum triariorum robur emittet?

CAPUT III.

Prima Launojana narrationis calumnia depellitur. Quo cultu Augustini de gratia & prædestinatione doctrina, ab Innocentio, Zozimo, & Episcopis Africanis, ut primum vulgari cepit, excepta sit.

Historicam narrationem, de adversa Augustiniana Doctrina fortuna, quam, ut primum lucem aspexit, in Ecclesia Catholica passa sit, daturus Launojus, ut hanc omnibus invisam, defectam, rixarumque, ac turbidum fontem ostenderet, haud modicum temporis intervallum silentio mittit. Tacito enim Innocentii I., ac Zozimi Pontificatu, quo ex tempore sua jam dogmata vulgaverat Sanctissimus Doctor, a Bonifacio I. temporibus exordium ducit: unum duntaxat innuens, Augustini doctrinam, statim atque vulgari coepit, omnium in se odia concitasse, quod antiquæ Majorum Traditioni adversa esset. Nos ne quid integræ Augustiniana Doctrina defensionis desit, tacita Launojo tempora retrahamus; & quantum illi ab Innocentio, Zozimo, & Præsulibus Africanis, auctoritatis, ac dignitatis accesserit, hoc integro capite palam facimus: in reliquis Criminatorem vestigia insecuturi; ac suam illam, quam comminiscitur, superiorum Augustino sæculorum contrariam Traditionem, omnium ultimo confutaturi.

Et

Et quidem Innocentium I., Zozimum, & Præsules Africanos, quorum iudiciis hæresis Pelagiana prostrata est, in Augustini de Gratia, & Prædestinatione sententiam descendisse, eidemque calculum adiecisse, neminem arbitror negaturum, qui rerum ea ætate gestarum seriem diligentius observaverit. Hanc Lectorum oculis subijcere satis fuerit, ut si quis ea parte scrupulus superfit, extimatur.

Librum in primis de Natura & gratia, quo male natum Pelagii libellum, a religiosis adolescentibus Timasio, & Jacobo anno 415. transmissum confutaverat Augustinus, fecere suum sanctissimi Præsules, Aurelius, Alipius, Evodius, & Possidius: ac veluti commune responsum, totiusque venerandi Ordinis, adversus nascentem hæresim, instrumentum, ad Innocentium I. transmissum: dum una cum Augustino, Literas illi religionem, ac zelum spirantes dedere; quo summum Ecclesiæ Pastorem in subeuntes lupos communibus studiis excitarent. (Misimus, inquebant, Reverentia tua librum, quem dederunt quidam religiosi, & honesti adolescentes servi Dei, quorum etiam nomina non tacemus; nam Timasius, & Jacobus vocantur: qui, sicut audivimus, & etiam nosse dignaris, ipsius Pelagii exhortatione, spem, quam habebant in seculo, reliquerunt, & nunc continentibus Deo servantur. Qui cum eodem errore tandem aliquando, per qualemcumque operam nostram, Domino inspirante, caruissent, protrulerunt eundem Librum, Pelagii esse dicentes. Factum est: Ad eisdem rescripta est ipsa Responso: agentes gratias rescripserunt. Utinamque misimus, & cui responsum est, & quod responsum est. Et ne nimium essent onerosi, signa fecimus his locis, ubi petimus inspicere non gravaris &c.) Extat Epistola hæc inter Augustinianas numero 177.

Quin & hunc de Natura & gratia transmissum librum ab Sanctitate sua mutuo Rescripto probari postularunt Præsules Africani, sub Epistola suam. Dabit sane nobis veniam si quis minima Cardis tui, quod prolixiorum epistolam fortassis quam velles, tue misimus Sanctitati. Non enim rivulum nostrum tuo largo fontis augendo refundimus; sed in hac non tamen parva tentatione temporis, unde nos liberet, cui dicimus: ne nos inferas in tentationem: Utrum etiam noster licet exiguus, ex eodem, quo etiam tuus abundans emanet capite fluentium, hoc a te probari volumus; tuisque Rescriptis de communi participatione unius gratie consolari.

Quid ad hæc Innocentius? Descendit in supplicium vota: suscepta a Sanctissimis Præfulibus divinæ gratie vindicias laudibus exulit, directas epistolas absolutissimas dixit, seque eadem cum ipsis sentire, dato Rescripto significavit. Fraternalitatis vestre literas plenas fidei, rotoque religionis Catholice vigore firmatas, a duobus missas Conciliis, per Fratrem & Coepiscopum nostrum Isidorem pergrato suscepimus animo; quod carum terror, omnique contextio in consideratione quotidiana gratie Dei, & in eorum correctione, qui contra sentiunt, integra ratione consistit: ut, & illis omnem tollere possit errorem, & idoneum dato quavis nostre legis exemplo, quem sequi debeant, dignum possit præbere Doctorem. Et multis interjectis, queis Divinam gratiam commendat. Nam hoc loco, inquit, latius de lege disputare, velut coram posito repugnantemque Pelagio, necessarium esse non duximus, cum vobiscum totam scientibus, PARIQUE NOBISCUM ASSENSIONE GAUDENTIBUS colloquamur.

Nihil itaque dubitandum, Præsules illos Africanos, & Innocentium I. Ecclesiæ Romanæ Pontificem, contenta Libro illo de Natura & gratia doctrinæ capita, non modo ab omni erroris sus-

picionem libera censuisse, verum etiam uti sua concordia suffragio itaivisse, defendisse, publicasse. Porro gratiam se ipsa videri, gratitatemque prædestinationem eo volumine defendi; eademque loquendi formulas, gratiæ, ac prædestinationis explicandæ modos, Apostolorum oraculorum interpretationes, phrasas, principia, confectaria, primo ac tertio Indiculo representata, quibus duo illa dogmata stare contendit audacissimus criminatores, eodem illo de Natura & gratia Libro contineri, ne ipse quidem, si sensum habet, ibit inficias.

Ingens enim illud innocentis hominis ac lapsi discrimen, unde diversæ gratiæ necessitas orta est, ab Augustino Libro de Correctione & gratia, fule lateque constituitur; ut lapsum hominem; gratia indeclinabiliter & insuperabiliter agi demonstraret, (quo uno universam Sanctissimi Doctoris de gratia doctrinam uti cardine volvi, a plerisque creditum est) toto ferme hoc libro de Natura & gratia inculcatur; & Pelagio solam possibilitatis gratiam ingerenti, in faciem illiditur. Capite 43. Verum est autem quod ait (Pelagius): quod Deus tam bonus quam iustus talem hominem fecerit, qui peccati malo carere sufficeret, sed si voluisset. Quis enim cum nescit sanum & inculpabilem factum, & libero arbitrio, atque ad iuste vivendum posse libera constitutum? Sed nunc de illo agitur, quem semirurum latrones in via reliquerunt: qui gravibus faucibus consessisse vulneribus, non ita potest ad iustitiam culmen ascendere, sicut potuit inde descendere. Capite 48. Si de integra & sana hominis natura loqueretur, quam modo non habemus. . . . nec sic recte diceret, quod non peccare nostram tantummodo sit, quamvis peccare nostrum esset: nam & tunc esset adiutorium Dei, & tantquam lumen sanis oculis, quo ad iusti videant, se præberet volentibus. Quia vero de hac vita disputat, ubi corpus, quod corrumpitur, aggravat animam, & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitant: miror quo corde, etiam sine adiutorio medicine Salvatoris nostri, nostrum putat esse non peccare; posse vero non peccare nature esse contendat; quam sic apparet esse vitiatam, ut hoc majoris vitii sit non videre. Hæc ibi, quibus similia habet capite 49. & 51.

Pari animi sententia amissam per peccatum originale bene agendi potestatem, libris ab Launojo in invidiam traductis, toties inculcatam, quam ut impium gratiæ se ipsa efficacis confectarium fugillat audacissimus criminatores, isto etiam Libro data opera demonstrat Sanctissimus Doctor: & Pelagio eandem naturam infitam dicitantem ore verberat inclementer. Capite 49. Sed de homine, inquit, sanis pedibus tolerabiliter dici potest, veli nolit, habet ambulandi possibilitatem: consuetudine vero, & si velit, non habet. Vitata est natura de qua loquitur. Quid superbit terra, & cinis? Vitata est, medicum implorat. Capite 51. Cæcus puto, quod veli videri, sed non potest: Si autem vult, & non potest, inest voluntas, sed amissa est possibilitas. Capite 53. Quid tantum de natura possibilitate presumitur? Vulnerata; sauciata; vexata; perditata est.

Non absimiliter excisam Protoparentis vitio humani arbitrii libertatem, quam libris ab Launojo vellicatis tradidit Augustinus, uti gratiæ se ipsa efficacis necessarium corollarium, cujus præsertim occasione, erroris illi dicam superciliosus Cenfor affricuit, totis viribus adstruit capite 55. Quæro autem, ubi natura istam perdidit libertatem, quam sibi dari exoptat cum dicit; quis me liberabit? . . . Porro si ab istis vel hoc impetratum, ut nondum baptizati implorent auxilium gratiæ Salvatoris, non est hoc quidem parum adversus illam

illam falsam defensionem, tanquam sibi sufficientis natura, & potestate liberi arbitrii. Neque enim sibi sufficit qui dicit: Infelix homo, quis me liberabit? Aut plenam libertatem habere dicendus est, qui se adhuc postulat liberari. Cujus quidem loquendi formulæ rectam intelligentiam dedimus capite superiori.

Gratiam facientem, ut faciamus, ipsiusque cooperationis humanæ prævenienti efficaciam operatricem, quam se ipsa efficacem Launojos appellat, & a Sancto Doctore traditam criminatur, hoc ipso, quem expendimus Libro, defendit capite 31. Operatur quidem & nos; sed illo operante cooperamur, quia misericordia eius prævenit nos. Prævenit autem, ut sanemur, quia & subsequetur, ut etiam sanati vegetemur. Prævenit, ut vocemur, subsequetur ut glorificemur: prævenit, ut pie vivamus, suis sequetur, ut cum illo semper vivamus, quia sine illo nihil possumus facere. Utrumque enim scriptum est: & Deus meus misericordia eius prævenit me: & misericordia tua subsequetur me per omnes dies vite meæ.

Quid tandem? Altum illud, & inscrutabile divinæ prædestinationis, nullorum meritorum exploratoris arcana, ab Launojo fati gentilitii, & erroris audacter simulatum; (quo videlicet pueros nulla propriæ voluntatis, aut parentum incuria, Sacramenti regenerationis exfortes, æternæ tamen damnationi obnoxios, postremis elucubratæ operibus asseruit Augustinus, tamen a perditionis massa minime discreti, Christiani esse non possint,) luculenter adstruit capite 8. Ego autem dico, parvulum natum in eo loco, ubi ei non potuit per Christi Baptismum subveniri, morte prævenit, idcirco talem fuisse, id est, sine lavacro regenerationis exiisse, quia aliud esse non potuit. Absolvat ergo eum Pelagius, & aperiat ei contra sententiam Domini Regnum Cælarum, sed eum non absolvit Apostolus, qui ait: per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors; & ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt. Recte ergo ea damnatione, que per universam massam carnis, non admittitur in Regnum Cælarum, quamvis Christianus non solum non fuerit, sed nec esse potuerit.

Præfulibus igitur Africanis, qui Librum de Natura & gratia fecere suam, eandem, ac Augustino, erroris notam inur adacissimus Criminatores. Inurat & Innocentio, pari cum ipsis assensum gaudens, qui in Sanctissimi Divinæ gratiæ vindicis sententiam Rescripto concessit.

Neque vero indiscreta duntaxat, ac vaga suffragatione, Augustino assensisse putandus est Innocentius: sed qua duo in gratiæ se ipsa vindicis systemate potissimum damnat Launojos, atque ab Augustino sapius inculcata queritur arrogantius, dato ad Concilium Carthagenense Pontificio Rescripto, confirmat ac probat: lapsam scilicet hominem pristina libertate devolutum, secutamque originis vitio peccandi necessitatem, nisi tot inter præsentis vite tentationes, divino auxilio muniatur. Quæ quo sensu, latis non ita pridem ab Innocentio X. & Alexandro VII. Definitionibus congruente, sumenda veniant, nihil hic arctat explicare; fatique ex antea dictis intelligitur. (Liberum enim arbitrium (Innocentii I. verba sunt) olim ille perperis, dum suis inconsultis vitis bonis, cadens in prævaricationis profunda emeris est: & nihil quomodocumque exinde surgere possit, invenit: suæque in æternum libertate deceptus, hinc ruina sua jacuisse oppressus, nisi eum postea Christi, per suam gratiam, relevasset advenit, qui per nosse regenerationis purificationem, præteritum omne vitium sui baptismatis lavacro purgavit, & ejus confirmans statum, quo ve-

lius, stabilisque procederet, tamen suam gratiam in posterum non denegavit. Nam quamvis bonum redemisset a præteritis ille peccatis, tamen sciens iterum posse peccare, ad reparationem sibi, quomodocumque posset illum, & post ista corrigere, multa servavit, quotidiana præstant illi remedia; quibus, nisi fressi consilique nitamur, nullatenus vincere humanos poterimus errores. Necessè est enim, ut quo auxiliante vincimus, eo iterum non adjuvante vincamur.) (apud Labb. Tom. 3. pag. 45.)

Certe si quo jure Augustino insultare Launojos potuit, quod eas loquendi rationes, gratiæ se ipsa vindicis assertoribus familiares frequentius usurparit, tamen catholico eorumdem sensum identidem exposuerit, poterit Innocentio, poterit & ipsis Carthagenensibus Concilii Patribus, quorum is consultationibus respondebat: quippe qui voluntatis arbitrium, non nisi Divinæ gratiæ subsidio vera libertate donari (quod Augustini erroribus Launojos accenter) professi sunt. (Pag. 32.) Gratia Dei, qua Christiani sumus, ipsam nostræ voluntatis arbitrium vere sit liberum; dum a carnalium concupiscentiarum dominatione liberatur: dicente Domino: Si vos filius liberaverit, tunc vere liberi eritis. Insultare & Zozimo poterit, qui licet cum Pelagio, & Cælestino, nondum detectis initio fraudibus, micrus egerit, Innocentii tamen, & Africanorum Præsulum iudicia ultimo confirmavit, Epistola ad totius Orbis Episcopos data, atque illas ipsas loquendi formulas emulatus est, qua supercilioso Cenfori stomachum movent.

Quamquam quid ego his immoror? Augustinum eam oppugnandam hæreses Pelagianæ viam iniisse; geminæ gratiæ se ipsa vindicis, & gratuita Prædestinationis dogmata, cæteraque inde fluentia confectaria, adornatis jam tunc operibus statuisse, haud dubie noverat Carthagenensis, ac Milevitana Synodi Patres. Neque enim latebat eos, illos ipsos exponenda electionis, & efficacitæ modos, queis horum dogmatum summam, ultimis Augustini libris delineatam Launojos agnoscit, prioribus ejusdem operibus usurpari. Notum scilicet illud ex Libro 1. de peccatorum meritis & remissione, quem primum in Pelagianos concinnaverat, jam tum ab anno 412. capite 21. Valde ergo parum sensum habemus ad discutendam justitiam iudiciorum Dei; ad discutendam gratiam gratuitam, nullis meritis præcedentibus non iniquam; qua non tam mover cum præstatur indignis, quam cum æquo indignis aliis denegatur. Nam & hi, quibus videtur iustus, ut parvuli sine gratia Christi de corpore exeuntes, non solum Regno Dei, quo & ipsi fatentur, nisi per Baptismum renovatos intrare non posse; verum etiam vita æterna, & salute priventur, quærentes quomodo iustus sit, ut alius ab originali impietate solvatur, alius non solvatur, cum eadem sit utriusque conditio: ipsi respondeant secundum suam sententiam, quomodo identidem iustus sit, ut huic præstetur Baptismus, quo intro in Regnum Dei, illi non præstetur, cum sit utriusque par causa. Si enim mover, cur ex his duobus, cum ex æquo ambo sint originaliter peccatores, alius ab hoc vinculo solvatur, cui conceditur Baptismus; alius non solvatur, cui talis gratia non conceditur: cur non pariter mover, quod ex duobus originaliter innocentibus, alius accipit Baptismum, quo in Regnum Dei posse intrare, alius non accipit ne ad Regnum Dei posse accedere? Nempe in utraque causa, ad illam exclamacionem reditur: O altitudo divinarum! &c.

Notum & istud capitis 18. libri 2. Quare illos velio convertere, illos pro aversione punire, quamquam & in beneficio tribuendo nemo iusto reprehendat misericordiam, & in vindicta exercenda nemo iuste

juste reprehendat veracem; sicut in illis Evangelicis operari; aliis placiam mercedem reddentem, aliis etiam non placiam largientem, nullus juste culpaverit: Consilium tamen occultioris justitie penes ipsum est.

Notum hoc alterum ex Libro de Spiritu, & Littera, sub idem tempus elaborato, capite 34. Jam si ad illam profunditatem scrutandam, quisquam nos coarctet, cur illi ita suadeatur, ut persuasilem, illi autem non; duo sola interim occurrunt mihi, quae respondere mihi placeat: O altitudo divitiarum! & nunquid iniquitas apud Deum? Cui haec responsio displicet, querat doctiores, sed caveat, ne invocat praesumptores.

Nec ignotum pervulgatum illud Augustini in Enchir. cap. 32. ubi dicit. Ac per hoc si recte dictum est: non volentis Dominis, sed misericentis est Dei, quis id voluntatis hominis sola non implet; cur non e contrario recte dicitur, non misericentis est Dei, sed volentis est hominis, quia id misericentia Dei sola non implet? Porro si nullus Christianus dicere audebit, non misericentis est Dei, sed volentis est hominis, ut Apostolo aperissime contradicit: restat, ut propterea recte dictum intelligatur, non volentis neque currentis, sed misericentis est Dei, ut totum Deo detur, qui hominis voluntatem bonam & preparat adjuvandam, & adjuvat praeparatam.

Haec, inquam, aliaque multa ex Libro de Natura & gratia paulo ante memorata, haud ignota venerandis gemine Synodi Patribus, At tantum abest, ut Augustinum idcirco erroris aut novitatis infimularint, quasi qui minus cauta Pelagianae heresios conspiciatione in extremos errores abiret, novamque in veteri spatio calcaret viam; discretionem honorum a reprobis, uni misericordiae ascriberet, totumque Deo tribuendum desinens; (quod Launojus audacissime criminatur) ut contra potius, in magnam editorum operum admirationem traducti, Sanctissimo Praesuli novis scriptis Divinae gratiae hostes exagitandi provinciam concordiae suffragio demandarint. Rei fidem locupletissimam facit Epistola 110. ad Populum Hipponeensem, qua sibi Eracium successorem designat, in quem Episcopalis oneris partem devolvat, ut a publicis negotiis feriat, injuncta provincia facilius insudaret. Placuit mihi, & vobis (scribit Augustinus) propter curam Scripturarum, quam mihi fratres & Patres, mei Coepiscopi, in duobus Conciliis Numidiae & Carthagini imponere dignati sunt, ut per quinque dies nemo mihi molestus esset. Gesta conscripta sunt, placuit, acclamatis. Recitatur placitum vestrum, & acclamationes vestrae. Parvo tempore servatum est circa me: & postea violenter irruptum est, & non permittit ad quod volo vacare. Ante meridiem, & post meridiem occupationibus hominum implico. Obsecro vos, & obstringo per Christum, ut huic juveni, hoc est Eracio Presbytero, quem hodie in nomine Christi designo Episcopum, Successorem mihi, patiamini me secundere onera occupationum mearum.

Sed neque novarum duntaxat Scripturarum curam Augustino impositam volere Carthaginensis & Milevitanae Synodi Patres: eundem coetuum suorum os, ingeniumque venerati sunt, primumque intruere adversus Pelagianos exercitus Imperatorem suscepere: quod eius, inter tot enatae nuper haeresios oppugnatores, major enitisset industria, majus opus. Na illi, si penes Launojum quidem iudicium est, imprudens, qui quem prima visitatione modum excessisse noverant, & humanae libertatis arbitrium, per speciem vindicandae gratiae, plus nimio depressisse, virum sententiam amplioreni, peni nihil ac moderati habentem, erroremque errore confutantem; Concilio-

rum nihilofecius doctrina, & Magisterio praesidem agnoverunt; fidei defensorum absolutissimum, cuius ore omnium oracula funderent? Quam feliciter autem res ipsa cesserit, brevi Epinio cecinit D. Prosper, in Carmine contra ingratos.

An alium in finem posset procedere sanctum Concilium, cui Dux Aurelius, ingeniumque Augustinus erat? quem Christi gratia cornu Uberiore rigans, nostro lumen dedit vero, Ascensum vero de lumine? nam cibus illi, Et vna, & requies Deus est: omnisque voluntas Unus amor Christi est, unus Christi est honor illi.

Et dum nulla sibi revidit bona, fit Deus illi Omnia: & in sancto regnat sapientia templo. Istius ergo inter cunctas, qui de grege sancto Infanas populare seras, industria major: Majus opus, totum praestantius imbuat Orbem. Nam quocumque gradum convertit callidus hostis,

Quaque per ambages anaxys iter egit operas, Hujus ab occurfu est praeventus, mille vicarum Insidias, aditum non reperientibus ullum. Cumque foris rabies avidiorum excluda luporum Frenderet, inque omnes mendacia verteret artes,

Ne mentes ularum ovium corrumpere posset, Neu dubia obliqua turbaret corda quereles, Istius ore Fides fecit Deus: istius ore Flumina Librorum Mundum fluxere per omnia, Quae mites humilesque bibunt, campisque amorum.

Certant vitalis doctrina immittere ritus.

CAPUT IV.

Bonifacii I. Romani Pontificis magna de Augustino, ejusque Doctrina opinio concepta, adversus Launoii hallucinationem defenditur.

A Bonifacio Ecclesiae Romanae Pontifice, in fabulam suam Launojus ingreditur a qua, que ille insignia dedit suae in Augustinum venerationis argumenta, audaci calumnia vitiae, ut is Sanctissimum Doctorem lubricae, ac suspectae fidei virum habuisse videri possit. Scilicet eum gratuita praedestinationis, & gratiae se ipsa victicis theorematia, ab Augustino tradita praemisisset, indeque fluentium dogmatum summam collegisset; multa illi (ut vidimus capite 2.) per invidiam affigens, aut prepostero sensu accipiens, illud de Bonifacio somnium narrat, quod lugentibus etiam risum eliciat. (Pag. 26.) Pelagianus Augustinum talia sentientem, uti narratorem traduxerit. Nonnullos & suis Romam delegarunt, qui ejusdem damnationem urgerent. Res eo perducta, ut Bonifacius Doctrinae rationem ab Augustino reposeret; eundemque ad eluenda accusationum capita, pro imperio compelleret.

Na te, Launoii, concepta in Augustinum occaecat invidia, dum Pelagianos tui dignos auctores, Apostolicae Sedi propius adhibitis, qui Augustinianae Doctrinae novitatem obijciant, eidemque una tecum litem intendant? Quid ergo? Consule Atheos, negabis Deum: implacabiles Divinae gratiae hostes, consultores adhibes, quid mirum si pium divinae gratiae vindicem novitatis, & erroris accessas? At vide quam turpiter hallucineris, mutesque quadrata rotundas. Falsum in primis, Pelagianos nonnullos & suis Romam ad Bonifacium delegasse: quippe qui criminationes qualescumque suas, non missa legatione, sed datis Romam, ac Thessalonicam litteris publi-

publicarunt. Falsum pariter, vulgatis suis illis criminationibus, Augustini alteriusve cujusquam damnationem postulasse: illos enim tantum aulos nupiam legere contigit: sed tenebrionum, ac susurrorum more, incautos quoscumque possent, suis partibus addicere, vulgatis litteris nitentur. Falsum etiam, contenta iis epistolis criminationum capita, gratuita praedestinationis, gratiaeque se ipsa victicis theorematia duo, aut fluentia inde dogmata singulariter attigisse: sed alia quoque petebant Ecclesiae Catholicae dogmata, ab iis toto caelo diversa. Falsum denum ac tetra sycophantia loco habendum, quod ultimo tantum obtuditur, Bonifacium lectis Pelagianorum litteris, doctrinae rationem ab Augustino repetisse, eumque ad eluenda accusationum capita pro imperio compulisse; quasi sinistra illi de tanto viro infudisset opinio; Cum contra potius, de tanto viri singularis eruditionis, qua cunctorum in se ora circumgerat, fama pernotum Bonifacius, has ipsas ad eum litteras confutandas transmississet; ut Apostolicae Sedis nomine, Ecclesiae Catholicae defensionem adoraret. Quo nullum conceptum de illo magnae opinionis argumentum illustrius esse potest.

Singula Launojanae aberrationis capita perfecti, haud erit hic operosum. Primum alterumque parascit Augustinum capite 1. Libri 1. contra duas Epistolas Pelagianorum, ad Bonifacium Romanae Urbis Episcopum. Duabus, inquit, Epistolis eorum respondit; uni scilicet, quam dicitur Romanam misisse Julianus, credo, ut per illam, quos possent, suos, qui inveneret, aut sciret, alteri autem, quam docet, & ob id velut Episcopi, participet ejus erroris, non ad quoslibet, sed ad loci ipsius Episcopum, sua calliditate tentandum, & ad suas partes, si possent fieri, traducendum, & ad Thessalonicam scribere. Viden non delegatos Romam e Pelagianis aliquos, ut litem cuiquam intenderent, sed vulgatas clanculum illic, ac Thessalonicam Litteras, ut gregales misere, corraderent? Tantumque abest, ut expositulationem instat, ad Sedem Apostolicam deferrentur, ut diligenti potius inquisitione ferret opus, ut Bonifacio innotescerent. Quae in tuas manus (Augustini verba sunt) nisi vigilantissima diligentia fratrum nostrorum, filiorum tuorum venire non possunt.

Tertium in aperto ponunt contenta binis epistolis calumniae; non in Augustinum nominatim, sed in universam Ecclesiam structae: & quidem aliorum etiam dogmatum occasione, quam quae Launojo nauscenti stomachum movent. Septem prior Epistola continebat: prima erat de sublatio, ex Catholicorum sententia, per peccatum Adae, libero in nobis arbitrio; altera de nuptiis a Deo optimo minime institutis: tertia de damnato conjugali congressu: quarta de sanctis veteris Testamenti reprehensis: quinta de D. Paulo, immoderate libidinis accusato: sexta de Christo, a peccatis minime duntaxat, non auferente. Novem altera complectebatur Epistola, ad superiores facile revocandas: prima erat de libero arbitrio; altera de nuptiis a diabolo, non a Domino institutis: tertia de fato, gratiae nominie a Catholicis asserto: quarta de veteri lege, homines peccatorum faciente: quinta de Baptismo, integram peccatorum remissionem non conferente: sexta de veteri Testamento in servitute generante: septima de diminuta Prophetarum, & Apostolorum iustitia: octava de Christi Domini peccato, carnis necessitate admissio: ultima de divinis mandatis in altera vita implendis.

Postremum Launojanae caspitationis caput referre Tom. V.

vincunt, Bonifacii confutandas Pelagianorum Epistolas ad Augustinum transmittentis, venerationis atque amoris testificatio singularis; ipsiusque Augustini eandem resellentis, institutum atque consilium. Alipiam enim Augustini discipulum, cui litteras Magistro reddendas tradiderat Sanctissimus Pontifex, honorificentissime exceperat Romae; ac inter familiaria colloquia, frequentem de Augustini ingenio, atque doctrina mentionem intermixerat, ingentibus amoris significationibus intermixtam. Qua de re sanctum Doctorem audire juvat, capite 1. libri 1. contra duas Epistolas Pelagianorum. Novem te quidem, fama celeberrima praedicante, & frequentissimis, atque veracissimis nunciis, quanta esseis Dei gratia plenus acceperam, Bonifacius, atque venerande Papa Bonifacii. Sed postquam te etiam praesentia corporali frater meus vidit Alipius, acceptusque a te benignissime, ac sincerissime, mutua miscuit dilectione colloquia, magnoque convivens, & parvulo licet tempore, magno tibi junctus affectu, se simul, & me resudat animo tuo, teque mihi reportavit in suo; tanto major in me tua sanctitatis est facta notitia, quanto certior anxietas. Neque enim designaris, qui non alta sapis, quamvis alius praesides, esse amicus humilium, & amorem rependere impensum. Augustinus vero, non ut privatam a se culpam depelleret aliquam, seque de tradita gratuita praedestinatione, gratiaeque se ipsa victicis purgaret, calumiam acuit; sed ut Ecclesiae causam in communi ageret, quae recentibus Pelagianorum calumniis precebat. Maxime cum in eo tot calumiarum plautro, semel tantum Augustini nomen interpositum videretur. & quidem alterius dogmatis occasione, cui nihil cum traductis ab Launojo sententis commune erat. Dicunt etiam (Apost. Aug. lib. 1. c. 5.) Juliani verba sunt, secundam in Catholicos calumniam struentis istas, quae modo aguntur, nuptias, a Deo institutas non fuisse. Quod in Libro Augustini legitur, contra quem ego modo quatuor Libellis respondi. Cujus Augustini dicta inimici nostri in veritatis odium susceperunt.

Quare adornatum a Sancto Doctore, adversus binas illas Pelagianorum Epistolas, exitium opus, consulationis loco habuit Divus Prosper, quam Summus Ecclesiae Pontifex, ad coerendam haereticorum audaciam poposcisset; ob eximiam scilicet eruditionis famam, quam editis operibus comparaverat. Sancta memoriae Papa Bonifacius, . . . inquit ille capite 21. contra Collatorum, cum esset doctissimus, adversus libros tamen Pelagianorum, Beati Augustini Episcopi responsa pascebat.

Quis ergo Launoii audaciam non miretur, qui quod honori, & gloriae Augustini fuit, in invidiam trahere nititur: impositamque ab Apostolica Sede erroris confutandi provinciam, qua nihil Catholicae Ecclesiae Magistro honorificum magis, perperam accipit: ut intentatam ei de violata fide litem effutiat, imperatamque ab Summo Pontifice admissi erroris expurgationem?

Longe aliter Prudentius Tricassinus Episcopus. Non modo summum Augustini decus, ex demandata illi ab Bonifacio haeresios resellendae provincia, colligit Sanctissimus Praesul, Epistola ad Hincmarum & Pardulum; verum etiam Launojum velut in oculis habens, nulli patere posse tam illustri Apostolicae Sedis commendatione munita est. Si eam doctrinam, inquit ille, adversam Fidei Catholicae in quoquam conspiceret, nequam cum Romana Ecclesia Antistes venerabilis Innocentius, cum totius Orbis Episcopis suscepisset: neque Bonifacius ejusdem Apostolicae Sedis Praesul Episcopus.